



Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dubium I. Quid Auditus, & quodnam ejus objectum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

modo quò potest locari per ubi materiale, vel potius divisibile, quod producit: Deinde nulla major superfluitas in eo, quòd species supernaturalis esset tota in tota materiali potentia, & tota in qualibet ejus parte, quàm sit in eo quòd anima ra-

tionalis sit tota in toto corpore & tota in qualibet parte corporis: sicut enim hæc non est nisi semel in corpore, ita nec illa species esset plusquam semel in illa potentia materiali.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Auditu, ejusque Objecto.

D V B I V M I.

Quid Auditus, & quodnam ejus objectum?

RESOLUTIO.

I. Ico auditus est potentia sensitiva soni; ac proinde objectum ejus est sonus: ita omnes.

D V B I V M II.

Quid sonus, & an mediantibus speciebus impressis, an immediatè per se ad auditum deferatur.

RESOLUTIO I.

II. Ico 1^o. sonus est qualitas solo auditu sensibilis, ad localem motum corporis resilientis, ex percussione corporum se collidentium, seu trudentium, & fractione medii, per actionem ab illis (utpote motibus tantum localibus) distinctam, producta.

III. Probatur 1^a pars: quia sic sufficienter ab aliis qualitatibus omnibus distinguitur, non verò per hanc definitionem; Sonus est qualitas producta per verberationem aeris duobus corporibus se invicem trudentibus, quam adfert Oviædus, & ferè omnes alii, saltem secundum substantiam; quia calor ita producit, ut experitur tangens corpora sese sapius trudentia; Item ubi, &c. deinde verberatio & trusio, vel sunt ubi, vel præter ubi, alium terminum non habent.

IV. Probatur secunda pars: quia illæ actiones sunt tantum motus localis, qui, licet velocissimus corporis resilientis, vel est ipsum ubi in nostra sententia, vel tendentia ad ubi in aliorum, ut fateri debent omnes, ergo sonus est per actionem ab illis realiter distinctam & ad sonum immediatè terminatam. Aliorum, & nominatim Murciæ hic, motus ad sonum improbationes omitto; quia inefficaces: ut primò, quòd motus sit sensibile commune; quia, præterquam quòd id paulò ante negaverimus, faciliè responderetur illum motum corporis resilientis ex percussione corporum se collidentium, ut talem esse sensibile proprium auditus, quia ut talis ab alia potentia externa percipi non potest. Secundò quòd dari possit motus tardus & velox sine sono: quia etiam faciliè responderetur quòd dari non possit motus tardus & velox resilientis corporis ex percussione corporum, &c. qui non sit sonus; quia numquam resilit corpus sine sono. 3^o. quòd proprietates soni sint maximè diverse à proprietatibus motus localis, eò quòd motus dicatur tardus & velox, sonus verò gravis & acutus: verum etiam faciliè responderetur motum localem quidem præcisè, ut motum localem, dici tardum & velocem, attamen ut motum localem corporis resilientis ex percussione, &c. rectè dici gravem & acutum.

V. Nec dicas 1^o. Aristotelem hic docere sonum esse aeris ictum & motum corporum se collidentium, quia Aristotelem hic omnes ita explicant, ut non

sit intelligendus in sensu formali, sed in sensu causali, quasi ictus & motus sit id, mediante quò, producit sonus; sed melius explicatur in sensu conditionali, sic ut ictus sit conditio sine qua non corpora sonora sonum producerent, ut patet ex dictis in libris de Generat. Disp. 6. dub. 3^o. Resol. 2.

VI. Nec dicas 2^o. sonum non esse qualitatem, quia non est una ex primis, cum juxta Aristotelem 2^o. de Generat. sint tantum quatuor, calor, frigus, siccitas & humiditas, neque una ex aliis, quia aliæ ex primis inter se attemperatis oriuntur, non verò sonus, sed ex corporum se collidentium trusione & fractione medii.

VII. Respondeo enim sonum nec esse primam qualitatem, nec 2^{am} isto sensu, sed 3^{am} uno tantum sensu externo perceptibilem, uti est lux.

VIII. Probatur 3^a pars; nunquam est sonus sine illorum corporum trusione & fractione medii, illisque positus, semper est; unde productivæ causæ soni semper sunt tria corpora, duo scilicet allidentia & trudentia, & medium fluidum ex collisione illorum resilientis: Quòd autem aliqui putent virgà verberando aerem, sonum produci sine tribus illis corporibus, falluntur; quia ex aère sunt nonnullæ partes, quæ virgàm collidunt, & aliæ, quæ ex collisione illa resiliunt; unde aer agit vices duorum corporum se collidentium; quando verò aer in periculo vacui dum movetur, excitat sonum, agit vices trium corporum, duorum scilicet se collidentium & medii secundum diversas sui partes; hinc ad sonum non necessariò requiruntur corpora dura & diversæ rationis; licet illa regulariter sint aptiora ad primum motum aeris, necessarium ad producendum sonum.

RESOLUTIO II.

IX. Ico 2^o. sonus non deferitur ad auditum mediantibus speciebus impressis, sed immediatè per seipsum & secundum suum esse reale; est contra Tolerum, Conimb. Compl. nostros, Suarezem, Hurtad. Arriag. Murc. Poncium, Tellem, & Fromondum nuperrimè de Anima lib. 3^o. cap. 4^o.

X. Probatur prima pars cum Nominalibus, non dantur species audibiles, ut probatum est de Generatione Dub. 3. Disp. 6. Resol. 2. ergo, &c.

XI. Confirmatur, sonus est omni casu sufficienter approximatus per se ipsum, & proportionatus auditui; sed species non requiruntur nisi ad approximandum & proportionandum objectum suæ potentiae; ergo, &c. Minor patet in gustu & tactu, in quibus omnes communiter negant species distinctas, quia ipsorum objectum est sufficienter per seipsum approximatum & proportionatum. Pro probatione majoris,

XII. Suppono primò, quòd aer sit valde faciliè in orbem pergyrum mobilis, imò celerius & celerius in infinitum pro activitate ipsius moventis; quia sine comparatione fluidior est aqua, & for-